SAGITTA GENTILITIA,

Tertio Pontificij Honoris Cælo
ILLATA;

Summis Virtutibus & meritis
ILLUSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
ET REVERENDISSIMI DOMINI,

D. VENCESLAI, HIERONYMI

DE BOGUSŁAWICE

SIERAKOWSKI,

EPISCOPI PREMISLIENSIS,

Altiora Sacri Honoris fastigia

DESIGNANS.

Ad Sollennem in suam Cathedram Ingressum, è Voto & Applausu Almæ Universitatis Cracoviensis

PER

M. ALBERTUM, CANTIUM BIEGACZEWIC,
Philosophiæ DOCTOREM, COLLEGAM Minorem.


Officiosissimô Calamô

ADORATA.

Annô Domini 1742. Die 30. Mensis Septembris.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

In Stemma
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS.



Tertius Axis adeſt, quô tollitur una SAGITTA,
Attinget primos, ocyus illa Polos.

SEBASTIANUS in Zábce *SIERAKOWSKI*, *CAPITANEUS Olßanenſis, Supremus Excubiarum Regni PRÆFECTIDES.*

ANNULUS in medium ſinuatus prominet Orbem,
Præſuleîs meritîs, integer Orbis erit.

FRANCISCUS de Boguſłáwice SIERAKOWSKI, CAPITANEIDES Mßanenſis.

Non vacuis MANIBUS moles, non Sarcina reſtat,
Subvectæ Cælo, pondera Sacra ferunt.

JOSEPHUS de Boguſłâwice SIERAKOWSKI, CAPITANEIDES Olßovienſis.

ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME PRÆSUL.

MAgnitudini publicæ lætitiæ, ex Præſuleo Tuo profluentis Aſcenſu, plauſu Noſtro, guttam adicimus Academici. Quot namq́; gradibûs ad honoris culmina proveheris, ſublimaris ad faſtigia, tot auctibûs Orbis Poloni lætitia grandeſcit, tot incrementîs publici ampliantur plauſus. Latiùs fontibûs funduntur, vaſto commenſurantur Oceano gaudia, cùm virtutes Tuas excelſas, meritaq; in Patriam & Eccleſiam ſumma, altioribus corona-

ri faſtigîjs lætantium; tùm de Aſcenſu Tuo, optima quæq; ſibi pollicentium. Gravis ſeniô Studiorum Parens Uniuerſitas, ſolatia ſua ampliſſimis gaudîjs miſcet, partem publicæ lætitiæ complet, non tamen pro illius magnificentia reſpōdet. Plauſu brevem in paginam effuſo, nihil illuſtre, præter Tuum Nomen; nihil à calamo pretioſum & magnum, præter Te ipſum, grādiaq; Tuorum Majorum, & Tua opera complectitur ac offert. Omnimoda reverentiâ & infimo cultu ANTISTITEM Te & SENATOREM, altiùs provectum veneratur. Aſcenſibûs Tuîs Jlluſtriſſimæ Domûs gloriam attolli, ſuam augeri fortunam gaudens; in Supremis Te ſuum PROTECTOREM videre faſtigîjs, me interprete precatur.

PANEGYRICUS.

PRemysliensis Tiara, felici post Livoniensem & Camenecensem successione, aureo Tuo incumbens Capiti, arrecto Cælum versùs ore tremulos scribentium calamos in Panegyricas urget paginas, sollicita ingeniorum cogitamina ad solennes auspicatissimi Ingressûs Tui provocat applausus ANTISTES ILLVSTRISSIME. Tot equidem ac tantîs decoribus Pontificales adornas Infulas, ut si per naturam possent, solæ Tibi Panegyricas laudes, amplissima encomia loqui vellent. Solis more quodcunq; honoris ingrederis Cælum, in illud & nativos Illustrissimarum Cerarum splendores & ferventissimæ ad Numinis aras pietatis invehis jubar. Intra brevem aliquot annorum effluxum, tertiam capessis Infulam; ipsis Tyarîs ad Coronamentum Tuum contentione quadam accelerantibus. Assur-

 gunt

gunt propero vere Pontificiæ violæ, repetito Majô Roſæ Purpurarum vernant, ſi trabeati in Zodiaco Eccleſiæ Soles accumulatam probè geſtorum diffunditis lucem. Impatiens diutinæ moræ, ſublimior Attalanteîs paſſibus emeritam virtutem inſequitur honor, feſtinusq; illum deperit Hyppomenem, cui pro aureo malo, omnia bene acta ſunt ad manum. In verticem aurô & gemmîs appretiandi Tui ANTISTES ILLVSTRISSIME Capitis quidni confeſtim Epiſcopales rotentur Tyaræ? Athlanteos in humeros ingentibus meritîs onuſtos, quibusvis ferendis oneribus pares, quidni ſacræ Trabeæ & Purpuræ confluant? In manus ad Eccleſiæ ornamenta tornatiles, quidni Præſulei congerantur Scipiones? A Vavelli Coronis primò Te Livonienſis ad ſingulare ſui decus invitavit Infula. Camenecenſis Tiara gemmas ſuas & pretium omne pro Tuo impendiſſet Capite, quod ſola Tuorum meritorum apud Sereniſſimum AVGVSTVM TERTIVM æſtimatione evicit. Pontificales violæ ſacri Honoris Tui primitiæ, per rubentem Livoniæ Campum, uberrimum eumq; optimum Chriſti odorem diffuderunt. Tiaræ Camenecenſi tot acceſſerunt gemmæ, quot Paſtoralis ſudoris guttas de Præſulea Tua Vigilantiſſimi ANTISTITIS abſterſit fronte. Integris torrentibûs de illa Poloni Antemuralis Petra, amaræ ad abſceſſum Tuum fluxiſſent aquæ; niſi ſaxei quoq; Memnones, Phæbea emeritæ virtutis luce excitati, si ad honoris augem provehatur, manifeſtos lætitiæ conciperent ſenſus.

Quæ

Quæ & quanta Sacræ, quam hodie ingrederis Diœcesis solatia? quàm festivi Præmysliensis Terræ applausus? quàm confertissimæ gestientis acclamationes populi, Optimum Te PRÆSVLEM præcedant, circumstipent & comitentur, tenuis calamus describere non potest. Biceps terrestris Aquila utrumq; caput in pronissimam Tui adorationem inflectit. Indolet non plura sibi adesse pectora; quibûs conceptam ex Adventu Tuo immensam lætitiam effundere vellet. Tutellaris Cathedralis Basilicæ IOANNES totus diffluit in gratias, quòd Ei Ecclesiasticis indefessus laboribus, sacris curîs associeris infractus. Præcursoris Agnus, ad optatissimi PASTORIS aspectũ, lætas horeas & festiva tripudia ducit. Argenteus Iordanes nunquam lætiori amne insonuisse auditus, quàm hodie Te ANTISTITE in corda populi, Te PASTORE in oculos gregis illabente.

Vberrima hæc quâ Novus Præmysliensis PRÆSVL exciperis lætitia, sequaces illius plausus, jubili, & festiva Acroamata, non industriæ specimen artis, non scribentis inventum calami, sed excellentissimarum Tuarum virtutum, genuinus sunt apparatus. Vt amareris, ut colereris ab omnibus, id rectefactis Tuîs sæculorum memoriâ dignis meruisti. Quòd ora populi & post Te trahas, & conceptam de Adventu Tuo lætitiam edisserentia præmittas; id Dijs placitæ, hominibus omni ævô in delicijs habitæ virtutis efficit amor. Iactîs radijs fulgentissimi Majestatem splendoris Princeps insinuat Planeta, antequam se totum lucido evolvat Orbe. Virtutum Tuarum celsi-

tudo, jam illorum animis clarissimum affudit jubar, quibus placidæ sidera frontis nondum revelasti. Ingens Tui Nominis æstimatio, jam eò pertigit, quò solus necdum pervenisti; imò etiam, quò Præsuleum necdum movisti pedem. Adhuc non visus, jam omnibus notus occurris, clarior tamen & illustrior, quàm Te præcedens poterat depingere fama. Oculis eorum affulges, in quorum corda magnitudinis Tuæ parellia jam jecisti. Inveheris in illorum conspectus, quorum mentibus Tua Optimi PRÆSVLIS os humerosq; Dijs simillimi jam inerat Idæa.

Auspicatissimo ad Præmysliensem Cathedram hodierno Ingressu, quô Sacram Diœcesim ab expectatione absolvis, numerosissimi Cleri desideria, celeberrimæ Vrbis vota adimples, oculos præstolantis gregis Optimus PASTOR exsatias; studiosa deprædicandæ virtutis ingenia, anhelo in applausum Tuum certamine contendunt. Citato eoq; felicissimo ad Honoris Altum Gentilitiæ SAGITTÆ cursu scholasticæ pennæ in elogia, calami in Panegyricas urgentur paginas. Illustrissimarum Cerarum splendore, quibûs Totus circumfulges, lumina Oratorum ad dignitariæ Tuæ lucis assistentiam provocantur. Nullæ ergo Xerxis catenæ literarium detinebunt Helespontum, quin Tibi altiùs progredienti pedissequo applaudat amne. Nec dissita locorum obstabunt spatia, quin de remotiori quoq; Parnasso applaudentes PRÆSVLEO Tuo Ascensui, Musas, in Patricij ANNULI conspicias gemmâ. Festino motu non de uno Horizonte scholastici

aguntur

guntur soles, ut festivum Pontificij Tui ad Præmysliensem Cathedram Ingressûs diem, utriq; transmittant Hemisphærio. Lucus Academicus cum nihil splendori gloriæ Tuæ suppetens, in publicam proferat lucem, nativas umbras fideles Phæbi ascendentis Comites, Tuæ in Academicos Protectionis Hieroglyphicas Panegyricis folijs affundet. Gracius Regalis Apollo palmarem Gentiliæ SAGITTÆ explorans cursum, in Tertio Pontificij Honoris Cælo sublimiora virtutibus & meritis Tuis designantem fastigia, officiosissimo adorabit stylô.

SVperstitionis, non Divinæ susq; deq; disponentis omnia legis observantior vetustas, ad summa honorum connitentes culmina, nonnisi fatigatîs priùs Tripodibus, Cyrrhâ & Apolline sollicitatîs provehebat. Pulsatæ Deûm Cortinæ, jam Hammonius Iupiter, jam præsagus furorum Gerion, jam fatidica de responsis petebatur Themis, ut cupida eminendi ambitio, si justa defuissent suffragia; quæ fervidis sibi destinaverat votîs, fortunæ & honoris fastigia occupâsset. Præter Tripodum Divino callentium Numine oracula, præter sacrorum Flaminum Diali venerandorum Apice responsa; sani vacua consilij, ex oscinum cantu, ex solistimis pullorum tripudijs, ex evandis in æthere ostentis, ex solicita siderum Cælestiumq; investigatione signorum ducta auguria, formata vaticinia, omina & præsagia, multos Thronis & Solijs intulerunt. Taliter verò exploratæ celsitudinis argumenta, casui & ambiguis erranti passibûs

ſibûs innixa fato, rarò ad vota & præcogitatos ſuccedebant eventus, ad retinendum quæſitæ Dominationis culmen rariùs profuerunt. Duodenum rapacium vulturum agmen, Appenini Collis ſuperfuſum faſtigio, in Romulum Romanæ Imperium conjecit Vrbis, ſubridentibûs tacitè fatis; tantæ Conditorem Monarchiæ, ad cænoſam Capreæ paludem ſacrilegîs Patrum manibus eſſe diſcerpendum. Prodigioſà flamma, fauſtè quidem Servio Tullio ad Regalis trabeæ præluxit fulgur, eum tamen à funeſto vitæ & Regni, veſana ſoceri ambitione inductô non vindicavit occcaſu. Ad Aras victricium legionum, quæ Tyberio in Philippis moranti, ad capeſſendi Imperij omen, ſubitîs exarſerunt ignibus, ſimul in tantam Ejus ignominiam conjurarunt fata, ut frigidum famoſi in Purpura Lanionis cadaver, nec rogo publicô dignum cenſeretur. Longè felicius Imperium Octavio Augusto flammeus Solis Orbem circumambiens portendit arcus. Quoad vixerat, non minus in Solio, quàm in ſubditorum cordibus regnabat Cæſar. Invidis ereptum fatîs, nemo ſatîs luxiſſe ſe credidit, quilibet aut nunquam vixiſſe, aut nunquam mortuum fuiſſe peroptabat. Cælô nempe Supremam per ſigna ſua ſpō̃dente terrigenis ſortē, nihil non ad fortunæ, nihil non ad honoris evenit incrementum.

Gentilitia Tua ANTISTES ILLVSTRISSIME SAGITTA, Diîs Ipſis attollendæ & decorandæ allaborantibus virtuti, dum in Tertio Pontificij Honoris refulget Cælo, ſublimiores in

res in Ecclesia DEI portendit ascensus, altiora trabeatæ dignitatis ingentibus Tuis meritis & virtutibus fastigia designat. Volucribus enim comparatæ longo sæculorum tractu famæ instructa pennîs, vastum Honoris iter, non interrupto emetitur cursu. Per Senatorias Curules, per Regni subsellia, per prima dignitatum in Orbe Lechico volitans Culmina, in honorariæ Celsitudinis Campo indeffessa observatur. Quodcunq; publici muneris, quodcunq; dignitariæ Eminentiæ attigit punctum, in illo immortalis vestigia famæ absolvit, sed cursũ non terminavit. Herculeô nisu ad omnes dignitatum gradus eluctatæ, nequit inscribi Herculeum illud: non Plus Vltra. In quo honoris culminat fastigiô, ad quod dignitatis evolat culmen, non terminus honoris est, sed gradus ad altiores. Cum missili Amphiarai arundine eadem sorte concordat, sed terminô discrepat & metâ. Illa validâ manu leves impulsa in auras, nonnisi in imam ab alto decidua humum, virides frondescebat in lauros. Hæc à tot sæculis in Alto Honoris fixa, in victrices Corymbos, in bellicas Martis Clavas, in Directorales Scipiones, in Mercurianos Caduceos, in Consulares Virgas & Secures, inq; omnigenos immarcescibili germine explicat se dignitarios Fasces.

Ad Sacra Culmina per Te Primum ex SIERAKOWSCIIS Illustrissimum sublimata ANTISTITEM, novô sed fæcundissimo vere in Episcopales Violas, in Pontificales Tiaras & Vittas reflorescit. Aliquid novi semper præ-

 sagiunt

ſagiunt, quæ vel diū non viſa oculis ſe manifeſtant humanis, vel nova in Cælo emergunt ſigna. SIERAKOVIANÆ Domûs SAGITTA, cùm in omnibus ferè ſæcularium honorum indeſinenter refulſerit ſphæris, in Pontificiæ dignitatis Cælo, ſive diu non viſum, ſive novum oſtentum eſt, eſt tamen omninò prognoſticon ad ſublimiores aſcenſus auſpicatiſſimum. Sexaginta qutuor, ſupra unū ſæculum effluxerūt anni, ut Gentilitius hic Sagittarius cum LVCA KOSCIELECCIO, Præmyslienſi ANTISTITE Tiaratus culminavit. Poſt duorum propè ſæculorum interventum, ex continuata pervetuſtæ Familiæ Linea, idem profectò, ſed diu in Sacris non viſus trabeis affulget. Vt unus plurium diſtinctorum Nominum ſignificatorem agit, cum TE SIERAKOVIO, Primo ex hac Illuſtriſſima Domo ANTISTITE, recenter oriundus, ſed per gemmeos Infularum Orbes, celerimo mobilis gradu obſervatur. Prima vice Præmyslienſi Horizonti Gentilitius OGONCZYK, in KOSCIELECCIO PRÆSVLE exhibuerat ſe viſendum. Iuxta ſucceſſionem Arithmeticam, in TE ILLVSTRISSIMO SIERAKOVIO Præmyslienſi ANTISTITE, ſuper eundem orbem ſecundò conſpicitur, juxta practicatum ad ſublimiores aſcenſus ſucceſſum ſecundiſſimè. A faſtigio Præmyslienſis Tiaræ, ad Poſnanienſe usq; Summum, Gentilitiam provexerat KOSCIELECCIVS SAGITTAM. A TE ANTISTES ILLVSTRISSIME, quò majori meritorum oneratur pondere, eò celſiùs eſt ſublimanda.

manda.

manda. Tertio Sacri Honoris illata Cælo, summos in Ecclesia DEI, summis Tuis meritis portendit Apices, sublimiora non vano omine fastigia præsignat.

Palmarem pluribus coævæ sæculis gloriæ Cursum, Gentilitia unde exorsa fuerit SAGITTA, dum officiosissima explorat penna, extra Lechicum abripitur Orbem. Magnorum quippe Nominum lux, non inde emergit, ubi corusco diffunditur jubare, sed meridionantis æmula Phæbi, ortum ducit à longinquo. Morem Siderum gerit; quæ cum ubiq; intima, ubiq; præsentia videantur, nativo Orbe sunt remotissima. Illustrium Familiarum insignia, non unum Horizontem illustrant, non uno sub climate fulgent. Pluribus Regnis, pluribus Provincijs nativam communicant lucem, etiamsi longiùs à suo recesserint fonte. Pervetusta Domûs SIERAKOVIANÆ arma, à Lechico Orbe pro Ancilijs Christianæ Fidei, pro singulari Patriæ honorata munimento, primam sui originem, in pressa protunc continuis bellîs, sed fæcunda dexterrimorum Bellatorum Moravia acceperunt. Ingens hostium colluvies, subitò Moraviæ infusa, heroicos non deteruit animos; ne aliquis pro Troja sua, non animosus excurreret Hector. Bellacissimi Cives, in externũ militem, Moraviã populantem, provolant sine mora. Focîs & laribus abjectîs, in confertos hostium manipulos, Patrium gravantes solum, armîs & ferrô exercitas conserunt manus. Pugnat quisq; Moravita dexterrimè, & triumphat in acie; ast Do-

mus suæ, nullo custode tenentur. Hostis qui victorem effugêrat gladium, victoriæ famelicus, prædæ & spolij sitiens, palabundo hìc illìc agmine, in vacuam præsidió, unicæ ex Principe ODROVAZYORVM Familia Hæredissæ incidit Domum. Barbara manu quæ in armatis erraverat, in inermem sæviente sexum, unica nobilissimi Sanguinis gemma pupillusq; ODROVAZYANÆ Prosapiæ Decor, rapitur, vinculîs innodatur, & abducitur. Post tot hostiles victimas, Moravo absumptas Marte, Princeps Moraviæ Virago, jam profectò in turpem hosti cesserat offam. Boni tamen Superi, protensis ad sidera manibûs opem suam imploranti, captivæ Perseum Andromedæ destinarunt. PETRVS ille de Radźikow dictus fuerat, virium robore, suo Nomini consonô pollens, incomparabili animi dexteritate Clarissimus Moravita. Lamentabili captivæ impulsus gemitu, unus numerosum auffugientium cum tàm nobili præda, insecutus agmen & assecutus. Vix strictô ferrô, alios in fugam more pecudum egit, raptorem valido contortæ cuspidis confodit ictu, captivam Principissam, fortunæ, vitæ, & quæ totô non bene pensatur auro, aureæ restituit libertati. Ex crudeli barbari militis manu, ceu ex medijs Cerberi erepta faucibus, titulîs Celsissima Avitîs Virago, Vindici suo PETRO de Radźikow, medium fracti annuli Orbem, in tesseram continuandæ integrâ vitâ gratitudinis offert. Post exacta Martis negotia, reduci ad otia pacis Bellatori, Quē ex rupti annuli pignore, suum Assertorē cognovit,

vit, Princeps Hæredissa, promissam non rupit fidem, imò vinctas in Matrimonialia fædera porrexit manus. Ad Deorum Aras, pronubæ Hymenæi flammæ, æternum in grato pectore ardere ignem, sunt testatæ. Parum id fuerat; nisi quoq; devinctissima suo Mausolo Arthemisia, Gentilitios Celsissimæ Familiæ splendores, in perenne recepti beneficij congessisset monumentum. Ex ODROVAZYANIS igitur Armis, mediam SAGITTAM, pro trabali lancea, quâ barbarus raptor confectus succubuit, placuit reservari. Pro lanuginibus, à quibus Stemma ODROWAZ dicebatur; medius ANNVLVS Assertori pro pignore datus, ad æviternum servatæ Fidei Testimonium, est subvectus. Aureæ Coronæ, post amotas Pavonis pennas, binæ Virginis MANus, quas Deûm hominũq; opẽ implorans, Cælum versùs protendebat superpositæ. Attendat hic Orbis, qui Gentilitia Familiarum Decora, solius pretiô virtutis dispensanda decrevit. SIERAKOVIANÆ Domûs Insigne, plurima clarissimæ Virtutis Insignia præsentare. Ex pluribus signis nobilissimũ hoc coàluit in Moravia Stemma, plurimîs virtutũ Testimonijs constat, imò totum, solius virtutis compositum est.

Stemmati novo, denominatio quoq; nova danda erat. Super Galeam pugnantis Valerij Messalæ, delapsus sorte quadam Corvus, in Stemma Familiæ cessit, & Nomen CORVINIS dedit. Arma SIERAKOVIANÆ SAGITTÆ, à PETRO de Radżikow, quòd barbarum cum rapta aufugientem Virgine, celerimè

insequeretur, POGONCZYK appellata. A primo PETRI Filio, Paternum OGONOVII retinente Cognomen, OGONCZYK dicta. Ab altero POWAŁA vocato, POWAŁÆ denominationem acceperunt. Clarissima Magnorum Aborigenum Progenies, Orbis Poloni decora, Liberæ Gloria Gentis Illustrissimi SIERAKOVII; etiamsi mille in Agnomen Vestrum concurrissent Tituli, omnium significationem expleretis. Si Vos Orbis Lechicus POGONOVIOS vocat; dexterrimo Spiritu in media hostium ruitis castra; Avitorum terrore armorum, integras dissipatis Phalanges, dissipatas propellitis, pulsas victrici insequimini manu. Si OGONOVIOS dicit; Patriæ prognostica triumphorum Sidera, hostili potentiæ formidabiles ceu ex Draconis cauda Cometæ estis. Si POVALIOS appellat, ad Suprema ingentium de Patria meritorum assurgitis fastigia, sublimia dignitatum Culmina tenetis, altissimos in Æde Honoris attingitis Tholos. Genus Familiæ Vestræ, à prima sui radice, quidquid in ODROVÆZYANA Domo splendoris, quidquid Celsitudinis, quid erat Magnificentiæ complexum; dici aliter non poterat; nisi Supremum, nisi Celsissimum. Novella Domûs Vestræ Planta, in grandem Maximarum Familiarum se protendit molem. In puncto, ad eam sublimitatem assurrexit, quæ alibi per longa intervalla còalescit. Prima Nobilissimi Sanguinis Vestri Scatebra, in Phrygium se laxavit Scamandrum, scuta Virûm & chalybeas Martis galeas volventem.

Sido-

Sidonium in Rubiconem diffudit, in quo tot Dinastis Purpuræ, tot Proceribus Dibaphæ, tot Senatoribus Murices; Tibi verò ANTISTES ILLVSTRISSIME Pontificales Trabeæ, Sacro erant tingendæ Ostrô.

Amplitudini illius lucis, quæ in primo OGONOVIORVM Familiæ diluculo, ad meridionalem ascenderat gradum, nimis exiguum fuerat Moraviæ Clima. Ad hanc, quâ nunc eminet Regnatricis Monarchiæ Majestatem, per rutilos gladiorum fulgores, caput suum erigebat Polonia, cùm PETRVS & ANDREAS OGONOVII, ex vicina in Eandem Moravia advenerunt. Orba mænibûs, sola acie & planicie cincta Lechica Sparta, Dexterimos Heròás adamantinum pectorum robur, pro Argivo Clipeo gerentes, ad suum libentissimè præsidium excepit. Nobile Par Fratrum, animæ ad prælia natæ, gemini Patritio telô metuendi Oriones, in Lechicum delati Cælum, ad utrumquè Poloniæ axem Gentilitiæ fulgorem protenderunt SAGITTÆ. Major natu PETRVS in Majori Polonia, super Nominis sui Petra, angularem perennaturæ sæculîs Domui lapidem, primaq; fundamina jecit. ANDREAS in Minori consedit, eandem pari Maximis Familijs stirpe adaucturus. Nobilissimi Advenæ divisi locô, heroica dexteritate indistincti, neoadscitæ in defensionem Patriæ, ceu unus Martis spiritus essent, uno nisu, uno ferebantur conatu. Familiam quam in fulcrum & ornamentum liberi propagabant Regni, primò à bonis Koście-

lec denotabant. Temporis successu, fortunæ maximis comparatæ meritîs notabili auctu, à bonis Sierakow in Cujavia coëmptîs, SIERAKOVIORVM assumpserunt Cognomen. Hìc jam adoratore calamo scribenda Illustrissima SIERAKOVIORVM Nomina; sed quomodo describenda? quæ transcendentalem numerũ important. Honorari debent, numerari non possunt, Antecessores Tui, ANTISTES ILLVSTRISSIME. Præter oraculi effatum, Polonis ex annalibus constat, quòd omnia bonorum Virorum Nomina, in unius Gentilitij Tui ANNVLI gemma sint conclusa; sed illa numeri species, quâ recenseri possint, non occurrit. Persarum quondam Regibus, suorum militum numerus, tot sagittis inscriptorum, quot expediebantur ad bellum, certissimus constabat. Vni Gentilitiæ SAGITTÆ, quot Bellatorum, quot Regni Procerum, quot Senatorum, quot Illustrissimorum in libera Gente SIERAKOVIORVM Nomina, gemmeo immortalis gloriæ charactere impressa sint? peritissimis Archimedibus perarduum computare. Gemmæ Sanguinis Tui ANTISTES ILLVSTRISSIME, Lechici Regni adornaverunt Coronam, quis eas in aliquot brevis Opellæ folia colligeret? Illustrissimi Aborigenes Tui, totos annales, integros fastos, plurima Regni volumina replerûnt, Nomina Eorum, quis in exiguam redigeret synopsim?

Pluribus SIERAKOVIIS, quos compendiosa non potest capere Panegyris, alto adoratis

silentiô

silentiô, Nobilissimum aliquot ex Tuis Majoribus Agmen, VENCESLAVS SIERAKOWSKI *VEXILIFER BRESTENSIS*, Præsuleo Tuo Ingressui in applausum ducit. Innui VENCESLAVM, Polonæ Gloria Gentis, Illustrissimæ Familiæ Decus, Lechici Martis Dextera Manus, Civium Amor & hostium Fulmen dicendus erat. Sub gemino VENCESLAI *VEXILLIFERI Labaro*, Pallas & Bellona, Gloriæ suæ duxit militâsse. Illa animorum triumphos, hæc hostilium armorũ trophæa in *VEXILLIFERUM* congerebat. Dexterimus in Castris martialibus Bellator, heroica hostes vincebat manu; in Comitialibus Regni certaminibus, quidquid ad persuadendum obvenerat, sublimi evincebat ingeniô. Ob eximias animi dotes, ob singularem rerum gestarum peritiam, & felicissima gerendarum consilia, Principibus in Republica Viris, in prima æstimatione habitus, Proceribus Regni & Magnatibus summopere dilectus. Iusti amoris flammã, quam in eximij Viri prudentiam excellentissimasq; dotes, Illustrissimus in Tarnow COMES conceperat, non aliter, nisi delectô ad Nuptiales Filiæ suæ thædas SIERAKOVIO, poterat mitigare. Optimo Civi Illustrissimam providit Sponsam TARNOVIVS, Domui SIERAKOVIANÆ bonorum Bogustawice Hæreditatem adjunxit. Vibius Acceus Romanæ ad Capuã Præfectus Cohortis, ut fervidiores in milite suo concitaret animos, trans Punicum Vallum, Romanum projecerat Vexillum. *BRESTENSIS SIGNIFER* SIERAKOVIVS, cûm non unum

extorſiſſet hoſti, Patrium ſibi, nulla vi, nullo robore eripi permiſit. Nec illud unquam fortunæ concredidit manibus, quam tamen Breſtenſis Palatinatûs Equitis, individuum commilitonem effecit. Laude Nominis ſui & laudatiſſimos vicerat VENCESLAVS, rectè factorum gloriâ felix, plauſu populi inſignis, BALTHAZARO & IOANNE Filiîs; Nobiliſſima Prole beatus.

BALTHAZAR ſub Regio Nomine, altiorem ſupra evanidos ſæculi faſtus animum gerens, ſumma magnanimitate, Mundi Titulos & honorum faſtigia deſpexit. Certius Regnum in DEI ſervitute ponens, Religioſam elegit vitam, Patritijs Purpurîs cum Norbertano habitu commutatîs, Præmonſtratenſis in Strzelno Præpoſitus, Sacræ Familiæ laudatiſſimo præfuit Regimine, optimo profuit exemplô. Religioſas inter umbras ſatis Illuſtris; quas vitæ innocentiâ, Sanctimoniâ cordis, ferventiſſima animi pietate reddidit illuſtriſſimas. Illuſtriſſimus IOANNES de Boguſlawice SIERAKOWSKI, primò Regni REFERENDARIVS ſimulq; CASTELLANVS Lendenſis; omni dicendi genere ſublimior, & omnibus encomijs major. Præſtantiſsimis naturæ, animi & fortunæ donîs, quæ diviſa plurimos efficerent beatos, ſæculi ſui gloria fuit; Procerum Phænix, Regum Amor, Civium Admiratio. Fidelibus in Reges obſequiîs, in Patriam meritîs, amore in libertatem, prudentiſsimis in bonum commune Conſilijs, ſumptibus in publica commoda impensîs, nemo major ſurrexit hoc IO-

ANNE

ANNE. Sub SIGISMVNDO AVGVSTO, Ordinibus Regni ad Generalia Comitia primò convocatis, IOANNES SIERAKOVIVS aureum libertatis os, & augusta Reipublicæ Vox auditus est. In Mareschalcum Comitiorum electus, ea oris gratiâ, ea comitate sermonis, ea eloquij fæcunditate AVGVSTVM REGEM salutavit, ut omnibus in confesso esset; IOANNEM Attica comedisse mella. Inter Palatinatuum Legatos, Ipse Mercurius; inter tot Ordinum Mercurios, Ipse Iupiter Stator; inter tot consultantes Statores, Ipse fæcundissimus consiliorum habebatur Tripos & Apollo. In Directorali illa Generalium Regni Comitiorum functione, capacissimum ad summa quævis negotia animum suspexit in SIERAKOVIO AVGVSTVS, Eundemq; majores ad functiones destinavit. Vandalus Poloniæ ubi in Balthydem se exonerat, rerum copiâ, & prospero fortunæ afflatu cæperat insolescere. In celeberrimo totius Borussiæ Emporio, dubium an à secundo Vistula, an à proximo mari turbidæ inhorruerunt procellæ. Ad componendos hos fluctus quis Arion? ad sedandos Gedanensium motus quis Mercurius? SIERAKOVIVS. Plenaria cum potestate ab AVGVSTO REGE & Serenissima Republica *COMMISSARIUS* Delegatus, ex utriusq; voto rem gloriosissimè perfecit. Sola oris Majestate poterat explicare COMMISSARIVS, quam REGI suo obedientiam, solo augustæ frontis honore, poterat edocere Gedanenses SENATOR, quam Serenissimæ

 Reipu-

Reipublicæ deberent reverentiam. Incomparabili rerum gerendarum prudentiâ, consumata legum peritiâ, innata ad maxima quævis negotia activitate, discordantes composuit, discolos sedavit, insolentes compescuit, coërcuit crystam arrigentes. Vrbem illam, quæ à STEPHANO BATHOREO ferrô ad officium redigenda erat, Polonus Cyneas, aureo eloquiô ad obedientiam REGIS, ad Reipublicæ reverentiam, ad observantiam legum, ad optimum Ordinem reduxit. A Castellana Lendensi, *CALLISIENSIS* meritissimum SENATOREM receperat Curulis. Palatinali demum *LECICIENSI* illatus; eandem Herculeis tum pro Patria, tum pro Sacra Orthodoxa Religione, ex antlantîs laboribus implevit, adornavit. Gentilitiîs MANIBUS aureos videbatur conclusisse fontes, quos in usum Patriæ, in Regni commoda liberalissimè profundebat. Congestas opes & omnem fortunæ amplitudinem, communis boni incrementis & publicæ felicitatis integritati consecravit. Tribus Interregnîs, nempè post Regia SIGISMVNDI Secundi, & STEPHANI BATHOREI fata, post dolendum HENRICI VALESII ex Regno abscessum, ter pupillæ in subsidium Poloniæ, nullis sumptibus, nullis pepercit impensis. Quam felicia illa tempora, quibus cùm Augusta desinerent Capita, SIERAKOVIANÆ MANus Polonæ felicitati consulebant. Augustissimis REGIBVS, alijs ereptîs fatô, alijs avocatîs, res nimiùm angustæ Poloniæ imminebant. Ne irruissent

ſent improviſo agmine, Optimus SENATOR tempeſtivis obſtitit conſiliîs, amantiſſimus Civis oportuna præſidia providit. Imo Pater Patriæ dicendus, qui toties proprio ære numeroſum conſervavit militem, ſumptibus ſuîs plurimas Cochortes & legiones ſuſtinuit, ne illa alieno pateret ferro, vel fieret præda furentûm. Egit Camillum pro Patrijs focis, pro Divûm Aris Numma pientiſſimus ſtetit. Aliquam gemmam ad minimum veneni ſenſum, ſudoreis offundi guttîs, arcanorum naturæ Indagatores ſcribunt. Nobiliſſima Aviti ANNULI Gemma Łęciciensis PALATINVS quantùm non æſtuavit, quantùm non deſudavit, (dum SIGISMVNDI II. temporibûs, venenoſa Mamalucorum Hæreſis, non per modicos invaleſceret auctus. Exitioſa illa peſtis, non occultis cuniculis, ſed apertîs per Poloniam ſe protendebat venîs. Serpebat per vicos & pagos, per numeroſa Oppida, per populoſas ampliabatur Vrbes. Verſabatur in Magnatum Aulis, in Procerum Palatijs regnabat, in publicis foris patentia theatra habuit, ipſam Curiam, togatumq; magna ex parte invaſerat Senatum. Extruebantur paſſim exoſa Numini fana, damnoſi Lutheri errores deprædicabantur ex roſtris, adverſi Orthodoxæ fidei ſenſus explicabantur liberè, & liberè ſuſcipiebantur à multis. Parum aberat, ne peſſima ſecta, Reipublicæ diſſecuiſſet Corpus. Fæderabantur non poſtponendis agminibûs diſsidentes, in Regni Conventibus ſummis diſturbiîs ſummis, diſsidentium conatibûs, de Religionis contendebatur liberta-

 te.

tè. Gens DEI electa quibus non convitijs? venerandum Cleri Nomen, quibus non lacessebatur injurijs? Tartaream Stygem pestifero halitu vomens Hydra hæc, quæ de vicinis montibus in Polonos irrepserat Campos, eò formidabilior erat, quò potentiorum alebatur favore, viribûs nitebatur. Multum de Religione, multum de vero Numinis agebatur cultu, ne plenè actum fuisset, Giganteos hæreticorum assultus SIERAKOVIANÆ represserunt MANVS. Generalibus in Comitijs, Pericleo in Dissidentes detonavit PALATINVS ore, omnes curas, omnes ad hoc impendit conatus, ut ex libero Regno, pessima pro privato cujusvis arbitratu, sentiendi de DEO exulasset libertas. Polonus pro Aris Hercules, Avernalem Hydram jam non uno capite tumentem, flammeô animi zelô & victrici quod necdum ex vagina exemerat ferrô triumphavit. Immortale SIGISMVNDI AVGVSTI opus, quòd Lithuania in unum Reipublicæ còáluerit cum Polonia Corpus. Non minus Regiô SIERAKOVII factum, quòd nefaria hæreticorum secta, à corpore Reipublicæ sit avulsa. Pro defensa Religione, non tantùm Senatus, Cives, totusq; Polonus perennes PALATINO gratias est testatus Orbis. Ipsum Christianitatis Caput Roma, HOSIANO *Pede*, quò Poloni Nominis gloria super Tarpejos assurrexerat Colles, solennes Zelatori fidei SIERAKOVIO iverat in applausus.

OPTIMATEM Hunc optimis meliorē, nunquam

quam ſatis defleviſſet Polonia, niſi in Filio Genitorem, in STANISLAO SIERAKOVIO *KOVALIENSI* primùm, poſtea *LENDENSI* CASTELLANO, etiam poſt fata Superſtitem vidiſſet IOANNEM. Generoſiſſimus quippe Magnorum Virorum Sangvis, nunquam totus ad mortualia marmora frigeſcit. Animos poſterorum, in quorum fibras deſcendit, ſerviđiſſimo ad ſeria quævis & laudatiſſima inflammat æſtu. Heroæ Proles, dilatando vaſtæ gloriæ ſuccedentes theatrò, avitæ ſcenam continuant virtutis, Magnorum Perſonas induunt Parentum, circumferunt & præſentant.

STANISLAVS Paterna exempla pro regula agendi ſtatuens, vitam ſuam ad normam & amuſſim Magni Parentis componens, inter triumphales Martis Poloni Viros, Metellis & Scipionibus par; inter Senatûs oracula Cato; inter libertatis Zelatores Caſſius Aſſertor; in omni virtutum genere, viva Patris promi-nuit Imago. Non parvum Senatorio Murici affudit ruborem, ſed ab illo derivatum ſudore, quem fervidus boni publici amor, per ingentium in Curia curarũ æſtus, de ſollicita glorioſiſſimi *SENATORIS* exprimebat fronte. Nunquam Stationarius STANISLAVS; in CASTELLANA ſedendo Curuli minimè quieſcebat, quoties publicæ fortunæ Cardo, in Conſultantium prudentia vertebatur. Accumulatâ ingentibus meritîs Patria, IANVSSIVM, MARTINVM, & LVCAM SIERAKOVIOS; ex ANNA BIALINSKA, *CRUSVICIENSIS*

G *CASTEL-*

CASTELLANI Filia progenitos, Regno in subsidium, Illustrissimæ in augmentum *DOMUI* reliquit.

Ternio Magnorum STANISLAI Filiorum, quàm gloriosissimis decoribûs Illustrissimæ Lineam adauxerit Familiæ, Poloni fasti & annales loquuntur. IANVSSIVS de Boguśławice SIERAKOWSKI, Brestensis Cujaviensis *CASTELLANUS*, roseum Senatoriæ Purpuræ jubar, trabeatus Castellanæ Curulis vertex; in augusto Procerum Senaculo, acsi in Numinum consessu, non bifronti similis Iano, sed prudentißimus videbatur Ianus. Orbis Historiam, optimam gerendorum Magistram, ita in vasti tabulam transtulerat animi, acsi se Authore scripta, aut gesta fuisset, se spectatore. Rerum Orbe ferme toto gestarum benè gnarus, de optimis futurorum succeßibus optimè consulebat. Caput Ejus licet non geminum, sed verè gemmeum, humanâ major prudentia sic rotabat; ut uno vultu in id, quod agebatur intentus, altero hoc attingeret, quod fuerat secuturum. Ex specula Sapientißimi *Judicij*, sudum vel nubilum observans mane, præscius quid serus veheret vesper, imminentes à Reipublicæ Navi, tempestivis consiliis avertebat procellas. Magnus SENATOR, cùm satis Nominis sui gloriæ vixerit, publicis commodis etiam Platonicos non satis vixisset annos. Et post fata tamen Patriæ bono non defuit, qui Senatorio Murice, ad pullam mortis contortô, augusti paludamentum animi, in STE-

PHA-

PHANVM, REMIGIANVM, SIMONEM & SAMVELEM SIERAKOVIOS, dignos se tanto Genitore Filios protensum, ad insigne Regni ornamentum, ad singulare Patriæ, Fidei & Libertatis obtulit tegumentum.

Fulsissent ô utinam diutiùs! clarissima hæc de signo *SAGITTARII*, Polono in Horizonte Sidera. Certò certiùs Senatorijs Trabeis, tractam à Phæbo Parente nativi splendoris affudissent lucem, dignitarijs Sellis SIERAKOVIANI Celsitudinem invexissent Nominis, Lechicum Orbem, fulmineis in hostes obarmassent flammîs, meritorum fulgore illustrâssent. Verùm edentulis fatis majorem illæ uvæ acuunt famem, quæ Autumnum faciunt in Aprili Avidior sub falcem suam eos vocat Libitina flores, qui ante Majum ad fæcundam assurgunt messem. Cælum ipsum præmatura terrarum deperit solatia, & quæ ultra mortalium affulgent dotes, celeriùs ab Immortalitate rapiuntur. STEPHANVS Qui ab ineunte ætate in pretiosam Illustrissimo Nomini, & victricium laurearum feracem Polono Marti adolescebat Coronam, fatalibus suffocatus Cupressîs. SIMON Qui Mauritani adinstar Atlantis, proceros sub arduam bellorum molem erigebat lacertos, mortuales in cineres resolutus. REMIGIANVS perfectissima morum & literarum collectione commendatissimus, in hoc solo videtur injuriatus fuisse; quòd non relicta decessit Prole. Si tamen aliqua injuria dicenda est; cùm virtus, natura & fortuna, o-

mne perfectionis punctum, quod in posteros partitura erat, in uno REMIGIANO absolvisset. Tanta animi fortitudo, tantum innatæ ad omnia activitatis enituit in SAMVELE robur, ut secretissimis Imperantium arcanis meruerit admoveri. Sacræ Regiæ Majestatis *SECRETARIUS*; Principis mentem felicissimo penetrabat illapsu, consilia suppeditabat prudentissimè, consulta retinebat, conservabat fidelissimè.

Etiamsi liberaliori rivô Atticæ Hyblæ, & in unum congesta fontem omnia Rhetorica funderentur flumina, adhuc ad Altum perennantis gloriæ Illustrissimi MARTINI de Boguſławice SIERAKOWSKI, Inowłodaviensis *CASTELLANI*, *CAPITANEI* Przędecensis decrescerent. Et ferri acie potens, & ingeniô dives MARTINVS, vectigalem Nomini suo Eloquentiam, immortalium amplitudine gestorum, ad verborum inopiam redigit. Dexterrimus in bello Miles, in pace prudentissimus rerum Polonarum Stator, Sagum Victorîjs; Togam consiliorum triumphîs adornavit, illustravit. Nunquam vivente hoc MARTINO lacerum videbatur Reipublicæ Corpus, cui tegendô non solas Chlamidis lacinias, ast ipsa viscera ad omnem sangvinis & fortunæ profusionem scindere paratus erat. In singulos Patriæ usus, non liberalē, sed profusum se exhibuit, in ornamenta Illustrissimæ *DOMUS* non parcus fuit. Tot illam nobilissimis unionibûs ditavit, quot Filîjs de thoro ANNÆ ZALINSKA

SKA *CASTELLANIDIS GEDANENSIS* ex Illustrissima KOSTKOWNA, *SANDOMIRIENSI PALATINA* progenitæ susceptis, adauxit adornavit.

Assurgant hic Catones oculi, ad *PRÆSULEÆ* Celsitudinem Familiæ, non tantùm Illustrisima de Regnorum collecta Metricis Nomina, sed etiam de Cælituum fastis Sanctisima, per proximos Cognationis concurrere gradus observabunt. Primus OGONOVIORVM Tetracha PETRVS de RADZIKOW, Celsissima Virgine ODROVAZYA, pro Tetrachide successuræ stirpis adscita, unicum Cæli delicium, Nobilissimum Lechici Campi & sui Nominis Florem, Sanctum ex ODROVAZYIS HYACYNTHUM, in Purpureum Illustrissimæ, quam plantavit Familiæ invexit Pæstum. Illustrissimus MARTINVS SIERAKOWSKI Inowłodáviensis *CASTELLANUS*, Nuptiales cum ZALINSCIA *CASTELLANIDE*, KOSTKOWNÆ Filia communicando tædas, tutellare Poloniæ Sidus Nativis Celsissimum trabeîs, Sanctitatis Purpurâ fulgentissimum, Divum STANISLAVM KOSTKA, ad affines Illustrissimis SIERAKOVIORVM Ceris allexit splendores. Sanctorum Nomina in Consangvinitatis Albo legere, quanta Prosapiæ felicitas? Præter terrestres Lucios, terrenorum luce circumfusos honorum, Cælestes quoq; Fulgentios in contingenti affinitate habere, quantus Excellentissimæ Cognationis splendor? quantus Cesissimæ Lucinæ fulgor? Ex

honorum, & titulorum confluxu, quibûs Magni claruerunt Aborigenes, *DOMUS* Tua ANTISTES ILLVSTRISSIME Solis Regia est. Ex proximo cum IVONIBVS, ODROVAZYIS & KOSTKOVIIS cognatæ Lucis confinio, Fons Phæbi, Sanctorum splendoribûs fæcundus, Gens luminum Astrorumq; Patria; Domus Divorum Indigetum inquilina.

Æternitate fulgentibûs tota, affinium Sanctorum umbris reverentiali adoratîs cultu, adhuc numerosa perennantium in immortalis famæ Capitolio Herôûm series, superest recensenda. Procera namq; SIERAKOVIANÆ Consangvinitatis Arbor, summo vertice ipsis illatô Astris, renascentes ramos ampliori quàm Astyagis virga, per Lechicum Regnum ambitu diffundit. Ab hac sæcula vincente genuinaq; Dodonæ fronde, aureus pullulavit surculus, Illustrissimus LVCAS de Bogusławice SIERAKOWSKI, primò *KRVSWICIENSIS*, deinde LENDENSIS *CASTELLANUS*. Quô palmô mensus se fuerit in hoc Viro honor, ex Castellanarum fastigijs Curulium colligendum. Qua decempeda Augustam Magni *SENATORIS* mentem virtus & Sapientia subintraverit? gloriosissimæ ad Prussiæ DVCEM & Sveticos in Finlandia *EXERCITUS* Legationes loquuntur. Iuvenili ætate apprimè domesticis exculta literîs, totum octennium exoticis impendit studijs. Ad maturam provectum ætatem, prudentiâ consumatùm, judiciô gravem, omnium idiomatum peritissimum, Polona pro Tripode suo venera-

batur

batur Respublica. Petebantur ab Eo in difficilibus consilia, recipiebantur oracula. Ardua negotia committebantur tractanda LEGATO; apud tot Externos Principes & Monarchas commissa sibi, cum Gentis gloria, cum Regni commodo, cum Nominis sui immortali fama tractavit & conclusit. Regalia in Majori Polonia bona, per Comitia Regni *DEPUTATUS*, sic benè lustravit, ut nemo meliùs potuisset.

Siccantur quandoq; & ingentia flumina, Cæli serenum immixtæ discriminant nubes, ipsius Phæbi germana Soror, hausto ex omnigenæ lucis fonte, lumine laborat. SIERAKOVIANI Sangvinis Mare, Illustrissimo à tot sæculis non interruptim decurrit amne. In Gentilitij ANNULI Zodiaco, novi semper dignitarijs fulgentes Trabeîs Oriones prodeunt, Hesperi nunquam observantur. In Avito *SAGITTARII* signo, perpetuô Illustrissimi Soles meridie refulgent, nec ullus datur honoris vesper. Ex continua SIERAKOVIANÆ Familiæ Linea, tot Quirites Quiritibus, tot Senatores Senatoribus, tot Proceres successerunt Proceribus, ut totus in hac *DOMO* conclusus ex antiquo Senatus videatur. Magnos Senatores in plurimis SIERAKOVIIS, Polonus venerabatur Orbis; Nobilitatis Principem coluit in STANISLAO *SUCCAMERARIO* Dobrynensi. Non ex eo, Princeps inter Nobiles volebat SIERAKOVIS dici; quòd esset *SUCCAMERARIUS*. Ex eo, quia *SUCCAMERARIUS* dicebatur; meritîs, virtute,

 præcla-

præclarisq; gestîs, Principem inter Nobiles se exhibuit. Amplioribus deberent elogîjs scribi Illustrissimi ALBERTVS & ANDREAS de Bogusławice SIERAKOVII; Ille *RIPINENSIS*, hic *DOBRYNENSIS CASTELLANVS*. Sufficit tamen ad Honoris fastigium *CASTELLANOS*; ad Gloriæ summam SIERAKOVIOS, & sub hoc Nomine, optimos Patriæ Cives, imò Patriæ Patres, Bellatores dexterrimos, acerrimos Libertatis, Legum, & Fidei Assertores innuisse.

Ternô numerô, sed laudibûs digni millenîs, sub adoratorem veniunt calamum, Illustrissimi VLADISLAVS, STANISLAVS, & IOANNES deBogusławice SIERAKOWII. Ingentibûs meritîs & perenni claresfactorum memoria, omne supergressus elogium, qui in ipso Nominis Anagrammate, laudis laus VLADISLAVS legebatur. Nulla illùc potest eniti penna, quò STANISLAVS Montis Sanctæ Crucis *ABBAS*, immortalis suæ gloriæ fastigium provexit. Cruciferum supra Montem, Abbatum Exemplar & Idæa eminebat. Vt Religiosâ humilitate demissimus erat, sic effusæ in egenos pietatis montibûs, ad ipsa sublimabatur Sidera. Montem Domini Verticemq; illum Arbore Salutis beatum, pientissimæ vestigîjs adornavit vitæ, perpetuis Angelici candoris nivibûs contexit. Vixit in terris, imô tantùm est visus vixisse; Qui mente à terrestribus abstractissima vixit. *ABBATVM* & Religiosarum animarum Phænix, ad bajulum sui Salvatoris

lignum,

lignum, Syrio intentissimæ pietatis difluens fervore, vicinos Sancto Monti involavit Cælos. Inquilinum Crucis Divinæ Collem, & Religiosæ paupertati dicatum, religiosè ditavit, cùm in Eo beatos suos reliquit Cineres, eousq; incorruptos.

Grandiores fastos & prolixiora volumina requirit amplitudo meritorum, quibûs Patriam impleverat, Senatoriam ornaverat Curulem; & numerosissima factorum series, quibûs SIERAKOVIANVM Nomen toto Polono Orbi commendatissimũ fecit ILLUSTRISSIMUS DOMINUS IOANNES de Bogusławice SIERAKOWSKI, Bygdostiensis *CASTELLANVS*, Tuus *ANTISTES ILLVSTRISSIME* PROAVVS Teneram ætatem in Aula gloriosissimi Regis SIGISMVNDI Tertij exercens, eo politissimi animi cultu, ea compositarum ad coronatam mentem actionum amussi, Augustum PRINCIPIS demerebatur cor, ut verè hic IOANNES visus fuerit; quem Dominus diligebat. In eminenti supremæ censuræ fastigio, sublimes curas & secretiora Regnantis momenta, absq; minima infirmi animi tractâsse nota, quàm supereminens non multis concessæ, & singularis in IOANNE Gloriæ Apex. Sub Regalis Iudicij specula, multi in Nanos decrescunt, qui alibî vastæ molis Briarij videbantur. Qui alibi magnarum alarum censebantur Aquilæ, sub crysim Imperantium vocati, formicîs apparent non majores. Quemadmodùm Soli Astrorum Principi, sic & Regnantium oculis, vis quædam

I penetra-

penetrativa inest. Minimas Protegenis attingunt lineas; per subtilissimas malè cohærentis compagis rimulas profundissimé illabuntur, & latentes intùs atomos dignoscunt. SIERAKOVIVS uno Majestatis aspectu, omnibus animi decoribûs plenus observatus, dignus ad sua deligi negotia recensitus, Supremum de se SIGISMVNDI Tertij Iudicium non fefellit. Inter Purpurarum enutritus splendores, nunquam ad illum Augustæ Trabeæ erubuit fulgorem, qui debiles confundit, & quantumvis robustos, licet à longe spectantium perstringit sensus. Ejusdem planè cum Regnatrice alituum ingenij pupillá, Solem suum sequebatur IOANNES, imò toties prævenire visus, quoties felici perspicacia arcanum Principis explorabat velle, quæ destinabantur à Solio, tempestivè prænoscebat; & gloriosissimo factó præoccupabat necdum jussa Regni quoq; portare molē capax fuerat! hic Atlas, qui sub onerosissima Regalium negotiorum Provincia non nutavit. Grandævus meritîs, ab Aulæ curis, Togatorum Patrum Curiæ admotus, Senatoriam tot gemmîs, quot consilîjs Purpuram, Martium Sagum & victrici ferrô, & profusô in rem militarem ditavit aurô. Gotticum hôrridis in Prussia sævientem cristîs ut componeret Leonem, larga manu collecti copias auri, inter Patrium militem distribuit. Præliares Martis Poloni Aquilæ, ut alacriùs in coronatam suo non contentam mari, sed alienum sorbentem æquor provolassent Balænam, Principe illas allexit metallo. Ottomanicæ

tomanicæ Lunæ, quæ fatalia Orbi noſtro minabatur funera, Gentilitium numeroſis proprio erectis ære ſtipatû ſignîs, oppoſuit ſub Chotymo SAGITTARIVM. Victricis ſonitu ferri, fulmineum Planetam ſangvineas ab Oriente vehentem procellas, cum pyrobolicorum ignium nubibus, evanidas diſpulit & fugavit in auras. Triumphalis Agricola, ut ſub Iagellonicum SIGISMVNDI *MANIPULUM*, copioſam victricium Ex GVSTAVO Svetiæ, & OSMANO Turcarum colligeret laurearum meſſem, domeſticos non parcè ſeminavit theſauros. Poſt IOANNEM ergo Łećicienſem *PALATINUM*, in hoc IOANNE, geminatô exemplô agnovit Polonia; SIERAKOVIOS non aliter naſci, niſi in uſus ſui liberales, in bonum & publica commoda gratioſos. Agnovit hanc in Illos defluere cum Sanguine dotem; ut in Patriæ tutelam, in defenſionem Regni, vitæ non parcant, opes impendant & integram profundere fortunam ſint parati.

Immortalis monumenta Gloriæ, quæ omni perenniora ære Magnus exegit SENATOR, non Minores glorioſiſsimè continuârunt Filij. Paternis inſiſtens veſtigijs SAMVEL de Boguſławice SIERAKOWSKI, *CAPITANEUS BIELSCENSIS* nullum prætermiſit momentum, quô optimè non mereretur de Patria; nullam aciem, in qua animoſus pro Lechica Troja non ſteriſſet Hector; nullam publici muneris Provinciâ, ſub qua indefeſſû boni publici Atlantem non præſentâſſet. Cælum versùs proten-

 ſas

ſas Gentilitias *MANVS*, Aris & Supremo conſecravit Numini *ILLVSTISSMVS & REVE-RENDISSIMVS* ALBERTVS de Boguſłáwice SIERAKOWSKI, Cracovienſis *CANONICVS*, Chelmenſis *DECANVS*, Abbatiæ Montis Sanctæ Crucis COADIVTOR. Dexter Pontificis oculus dicebatur *DECANUS*; ob ſummam vigilantiam Linceus, ob æſtimatiſſimas dotes Epiſcopalis oculi Pupilla, imò Cor ipſum ſui Præſulis erat. Nobiliſſima de Gentilitio *ANNVLO* Gemma Vavellanas ſingulari virtutum & Sapientiæ pretiô adornavit Coronas. Caput Tyaris digniſſimum, animum omnium capaciſſimum negotiorum gerens, à IOANNE CASIMIRO Poloniarum REGE, ad CLEMENTEM NONVM *LEGAIVS*, dignus Galerô quoq; Mercurius eſt æſtimatus.

Sudante ſub tot Magnis Nominibus bajulâ pagellâ, ſæpiæ guttas, gemmeîs fluere torrentib9 neceſſum eſſet, ut pro ſua poſſet dignitate ſcribi, pretioſiſſima Heroûm Gemma, Vir ſuo æſtimatiſſimus ſæculo ILLVSTRISSIMVS GASPAR de Boguſłáwice SIERAKOWSKI Tuus ANTISTES *ILLVSTRISSIME* AVVS Edecumatîs in Patriam & Libertatem meritis, ingentibus in Regem obſequîjs, ad illud perennantis gloriæ proceſſit culmen, ad quod nonniſi Dædaleo niſu levis præſumeret eluctari penna. Pulcherrimum virtutis quæ eſt divitîjs animoſa ſuis documentum dedit; Qui maximos promeritus honores, nullos voluit acceptare. Imò ſubſequenti prodigium reliquit ævo, cùm

oblatum

oblatum sibi Kovaliensem CASTELLANATVM remisit, totam honoris summam, in sola meritorum reponens conscientia.

Post Hectorem Æneas, post dignissimum AVVM Æstimatissimus Tuus ANTISTES *ILLVSTRISSIME* PATER, IOANNES de Bogusławice SIERAKOWSKI, *ZAKROCZYMENSIS* DAPIFER, *MSZANENSIS & OLSZOVIENSIS* CAPITANEVS numerosô heroicorum facinorum stipatus satellitiô, vectigali adorandus succedit pennæ. Sub Regio IOANNIS Tertij, Victoriosissimi Monarchæ SCVTO, Ille Lechicam Spartam solis hæroicorum cordium mænibûs cinctam, adamantino pectore, acsi æneo umbone, acsi septemplici Ajacis clypeô, contra hostiles tutabatur assultus. Bellatorum quibûs gloriabatur Græcia, quos ad Orbis terrorem ostentabat Roma compendium; inter dextetrimos sui sæculi Heròés summus Heros, & potiùs Mars ipse credebatur. Quotiescunq; coronatus Poloniæ Iupiter, in stupendum portentosa Virium mole Asiæ Gigantem detonabat, toties IOANNES SIERAKOVIVS Aquilam se exhibuit, ignea Gentilitiæ *SAGITTÆ* fulmina jacientem. Quotcunq; Sarmaticus Mavors Regali SOBIESCIANO, SCVTO metuendus, ex debellato Oriente retulit victorias, omnium SIERAKOVIVS pars non parva fuit. Si illîs heroica Virtus muneraretur præmijs, si illîs quibûs quondam apud domitorem Orbis populum exciperetur plausibus, quot Civicas? quot obsidionales dexterri-

mus Bellator retulisset Coronas? quot publicos numerasset triumphos? Vnicum nonnisi, sed quô ipsam vicisse victoriam videtur, perenni sæculorum transmisit memoriæ, quòd decertantibus de se honoribus, palmam non concesserit.

Infulati fastigia honoris, glorioso emetienti cursu Gentilitiæ *SAGITTÆ*, augustis in assistentiam provolant de Cineribus, Virorum Phænices, Cælôq; coronatæ animæ *ILLUSTRISSIMI* nempe MICHAEL Łęczyciensis *POCILLATOR*, PAVLVS primò *DAPIFER*, postea *JUDEX*, ac tandem *CASTELLANUS* Dobrynensis; & STANISLAVS de Bogusławice *ARHIDIACONUS* Szremensis, *CANONICUS* Gnesnensis; Omnes SIERAKOVII, Omnes Æstimatissimi Tui ANTISTES *ILLUSTRISSIME* PATRVI. MICHAEL valida Manu triumphaliq; mucrone, Vandalicum Leonem & Cosacicam ambustis repullulantem capitibus Hydram multoties terruerat, pluries profligârat. Ardentissimo Patriæ amore; præpetes sibi ministrante alas, non chalybea casside, non acheneo gravabatur umbone, sed quasi purus Spiritus esset, per strictos acinaces, in media hostium castra non tam ruebat, quàm volabat. PAVLVS in Sacræ Themidis Cathedra, ad quam toties *DEPUTATUS* consederat *JUDEX*, Juris *DOCTOR* auditus est; in Polono Senatu Magister Consultantium. STANISLAVS exactissimus vitæ Spiritualis Canon, probitatis norma, & omnium virtutum fuerat amussis. Aurei verticem Capitis, quô utramq; fuerat complexus

plexus Sapientiam, licet ultrò se ambientibus subtraxit Tyaris, à fidelibus tamen in ipsum Lechicarum Infularum Nidum obsequîjs, promptum animum non subtraxit. Primo Polonorum Antistitum sidere, *EMINENTISSIMO* olim Sacræ Romanæ Ecclesiæ CARDINALI RADIVILIO, ad fatalem subductô occasum, Generalis Gnesnensis ARCIEPISCOPATûs *ADMINISTRATOR*, munus hoc pro Archidiæcesis dignitate, pro SIERAKOVIANI Nominis excellentia peregit.

Aurea unius vitis germina, Germani Tui ANTISTES *ILLUSTRISSIME* FRATRES, gemmeo merentur charactere notari. Multum est, si pugnent virtute, licet non numerô viri: plus tamen est, si & virtute & numerô pugnent. In nobilissimo FRATRVM quaternione, Quorum quisq; tota posset efficere castra, & numerum & virtutem Fabiorum; ad defensionem sui ac præsidium Polonia habet. Iurati Martis Poloni Athletæ IOSEPHVS & MATHÆVS, bellicos Spiritus, ipso ferme cum lacte hausisse videntur. GABRIEL *MSZANENSIS CAPITANEVS*, Capite Intelligentia, lingvâ Mercurius, dexteritate cordis & infracto virium robore Polonus Hector, bellaci Manu redivivus est Camillus. Corporis Majestate judicij gravitati juncta, in Comitialibus Cracoviensis Palatinatûs Congressibus, venerandum præsentat Nestorem, ubiq; acerrimus libertatis Assertor, & indefessus boni publici Atlas. Sub difficillimum Confederatæ Reipu-

blicæ tempus, in Mareschalcum ex primo Palatinatu urgentibûs electus Votîs, gravaminosam hanc Provinciam, summa animi dexteritate, prudentissimis consilijs, illibata publici muneris fide, integritate conscientiæ non læsa, cum singulari Palatinatûs honore, cum perennatura Nominis sui gloria gessit & sustinuit. Carissima Ejus pignora, gemina Lechici Sidera Poli FRANCISCVS & IACOBVS SIERAKOWSCII, ex ROSALIA de Ottfinow OTTFINOWSKA Vislogrodensi *DAPIFERA* suscepti, sub Iagellonico *Manipulo* ad maximas Patriæ spes adolescunt. Romanus *CAPITANEUS OLSZOVIENSIS*, Castrensis Cracoviensis *NOTARIUS*, Loricatæ Cohortis Serenissimi REGIS AVGVSTI Tertij *VEXILLIFER*, politioris ævi delicium, igneus Sarmatici Martis Spiritus, Divæ Astreæ Corculum & Ocellus. Selectissimîs corporis & animi dotibus, Procerum æstimationem intimosq; Magnatum meretur amores, ora populi in plausum sui, venerationem & millena elogia devincit. Vno doctissimi Capitis Codice, totam Iuris Civilis & Patriarum legum complexus congeriem, perfectissimâ Iuris scientiâ Iustinianos, incorrupta æquitate redivivos Aristides facit. Vbiq; omnium amor ROMANVS, in Divæ Themidis Areopago, soli Iustitiæ ostendit se amicum. Deputati ad Supremum Regni Tribunal IVDICIS munere, vice gemina functus, eousq; has promiscuas geminari acclamationes inaudit: Vtinam unicus Iustitiæ Amor ROMANVS,

ex Patrio

ex Patrio nunquam recederet Tribunali. Vtinam Gentilitijs SIERAKOVII Manibus, Regni Astreæ Libra perpetuò versaretur. In Castrensibus Cracoviensibus Actis, quotquot Iuris dicti sententiæ, quotquot decreta Manu Illius scripta reperiuntur, tot perennes Characteres, tot æviterna singularis in NOTARIO Iurisprudentiæ leguntur & legentur monumenta. Si libri muti Magistri sunt, ex decretalibus Cracoviensis fori voluminibus, discit præsens, secutura edocebitur ætas, ROMANVM SIERAKOVIVM fidelissimum Sacræ Themidis Amanuensem fuisse. In forensi Castro Meritissimus *NOTARIVS*, in Castris Bellonæ, infracto virium robore & heroici dexteritate animi gloriosissimus Loricatæ Regiæ Cohortis *VEXILLIFER*, Themidis bilancem, victricia Martis Poloni signa, ac simul SIERAKOVIANÆ *DOMUS* gloriam robustissimè portat. Ejusdem Nominis, licet de diversis DOŁĘGÆ Armis TERESSIAM SIERAKOWSKA *ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI* IOSEPHI in *Opol & Zabce* SIERAKOWSKI, Supremi Excubiarum Regni PRÆFECTI Filiam, in Thori & Vitæ Sociam nactus, diffusos toto pænè Polono Orbe Celsissimarum Familiarum splendores, in auream Gentilitij *ANNULI* deduxit Sphæram. Auream frondem, ab altissima Consangvinitatis descendentem Arbore, Illustrissimam Excubiarum Regni *PRÆFECTIDIM* adoro. Non solam meridionantis æmulam Phæbi, avitorum

L decorum

decorum lucem, Gèntilitiâ SOLEA in Capitaneales Mariti sui invexit lares, sed illos præterea JOSEPHO, & MICHAELE Nobilissimis surculîs in fulcrum Patriæ, in decus Illustrissimæ *DOMVS* succrescentibus Filîjs coronavit.

Africano Scipioni Patris simulacrum; Pompejo Magno gloriosissimi imaginem Avi Annulus exhibebat. In Gentilitio Tuo PRÆSVL Illustrissime *ANNULO*, non tantùm Avita summi Genitoris, sed etiam Dignissimorum ex MATRE Tua AVVNCVLORVM, & Ipsius Æstimatissimæ MATRIS decora, ceu plures in una Concha uniones refulgent. Æstimandi sunt ut gemmæ; *ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS* olim SIGISMVNDVS de Ruszkow RVSZKOWSKI, Cathedralis Płocensis *CANONICVS*, MICHAEL Brestensis Cujaviensis *SVBDAPIFER*; & ALEXANDER ejusdem Terræ VENATOR; tres ex una MATRE AVNCVLI. Quorum primus aurei Capitis dotibûs Sacras condecoravit Vittas. Alij libertatem auream, & Polonæ gloriam Gentis tanquam selectissimæ appretiant gemmæ. MARIANNA de RVSZKOVIIS *DAPIFERA* Zakroczymensis, Msżánensis, Olszovienśis *CAPITANEA*, Æstimatissima MATER Tua, licet non diversis à Paterno Tuo Stemmate Armîs, sed distinctis Illustrissimi Nominis & *DOMVS* titulîs, avitos Tuos *PRÆSUL ILLVSTRISSIME* ampliat decores. Aurum auro addit, gemmas accumulat gēmis, inmedium Gentilitij

ANNV-

ANNVLI Zodiacum, domesticos RVSZKOVIANOS colligens splendores, pleniorem in Eo, Illustrissimorum quæ dinumerari non possunt, Orbis Poloni Siderum accendit lucem. Infra generis sui alitudinem adoratorem cogit repere pennam, excellentissimis animi dotibûs, virtutibus selectissimîs, omnem elogiaris Styli supergressa cultum. Pandora sæculi nostri dicenda, in qua Palladis prudentia, Iunonis magnanimitas, veneranda vultûs Majestas, & Cæleste quoddam Sanctimoniæ jubar, etiam per obductas summæ modestiæ relucet nubes. Tota mente Æterno Numini devota, abjectîs fluxi sæculi curis, in paccata Monialium Sancti FRANCISCI, ad Ædes Divi IOSEPHI Cracoviæ solitudine, solis de immortalitate cogitationibus, solis DEI laudibus vacat. Quàm rara pietas! quæ Illustri animæ inter purpureos honoris & titulorum enutritæ splendores, Religiosarum umbrarum consortium persvasit, & efficit dilectissimum. Quàm Illustres, quàm calentissimæ Seraphicæ Vmbræ! ad quas à publica luce celata *ZAKROCZYMENSIS DAPIFERA*, clariora Cæli lumina spectat & ferventisimis Divini amoris flammîs incalescit. Felix es tàm pientisima MATRE ANTISTES ILLVSTRISSIME. Sed non minùs beata Illustrisima MATER, TE PRÆSVLE, TE ANTISTITE Sacro. Germanas Tuas SORORES, etiamsi bifidum tenuis calami taceret os, ANNAM de SIERAKOVIIS SĘDZIMIROWA, Vie-

Iunensem *DAPIFERAM*, præstantissima animi corporisq; dona, & Nobilissima quibusvis honoribus ornandîs succrescens Proles, perabundè loqueretur. MARIANNAM Carmelitanarum Discalceatarum Sanctæ TERESSIÆ, Velotoviensis ad Cracoviam Conventûs Monialem, vel ipsa Claustralia deprædicarent silentia. Vestalis hæc sub libero Iove Divino cultui se mancipavit. Ad Seraphicas TERESSIÆ flammas, æternum castimoniæ ignem purissimo in pectore fovet. Sub SZEMBECCIANIS Rosis, Agnum Virginum Sponsum Angelici candoris lilijs pascit. Violæ Tuæ ILLVSTRISSIME PRÆSVL, ut novo semper reflorescant vere, Increatum Solem, præcipuè in Immaculato Agno Sacri veris Parentem, precatoriorum globulorum funiculîs, ad honorificos Tuos devincit & inflectit successus.

Comes Gentilitiæ SAGITTÆ vectigalis penna, adeò prolixo per rectam Illustrissimæ Familiæ Lineam defessa tractu, ut numerosissimis cognatis Familijs impar sit decurrendis. Triumphalis SIERAKOVIANA Arundo, titulîs & trophæis coronata millenîs, nullis gloriæ sistitur terminîs, semper Plus Vltra fertur. Iidem sunt Gentilitij SAGITTARIJ motus qui & Phæbi; ijdem cursus qui & Solis. Ascendit ille ad Celsissimos, & in MICHAELE I. Poloniarum Rege Serenissimos *LVNÆ* WISNIOWIECCIANÆ Orbes. SIENIAVIORVM Cynthiæ affini se conjunxit gradu. Ad LVBOMIRSCIORVM & STADNICCIORVM

CIORVM Aquarium proxima relatione acceſſit. In LANCKORONSCIORVM Leones, DĘBINSCIORVM Virgines, MAKOVIECCIORVM Vros cognata influxit luce. Cum ZBOROWSCIORVM Accipitribus, ſociato ſublimatur in altum volatu. Cum Illuſtriſſimis Orbis Lechici Sideribus, KADZIDŁOVSCIIS, GKVDZINSCIIS, KEMPSCIIS, ZALINSCIIS, ROSCISZEWSCIIS, CHRZĄSZCZEWSCIIS, SZADOKIERSCIIS, WIERZBOWSCIIS, NARZENSCIIS, OPALINIIS, PADNIEWSCIIS, SMOGVLECCIIS, KOŁVCCIIS, TRZEBVCHOWSCIIS, POTVLICCIIS, TARŁOVIIS, ŁĄDCIIS, MIELZYNSCIIS, ſplendidiſſima conſtellatione, totum Majoris Poloniæ perluſtravit clima. Aquilinis ILLUSTRISSIMæ ex MILONSCIIS AVIÆ pennîs, in præſtantiſſimas Comitum de CZARNKOW CZARNKOVIORVM, BYKOWSCIORVM, GROCHOWSCIORVM, SKARBKONVM, GRABINSCIORVM, SIEMIANOVIORVM, PRAZMOVIORVM, MĄCZYNSCIORVM, NICIELSCIORVM, WALEWSCIORVM, ZAPOLSCIORVM, TACZANOVIORVM, NIEWSCIORVM, KOSSOVIORVM, KONARSCIORVM, IVANSCIORVM, SOKOŁOVIORVM, NIEBOROVIORVM, aliaſq; millenas per Regnum Poloniæ illatus Domos, in omnibus inquilinæ lucis communicatione adauctus; eſt & nunquam deſinet eſſe Illuſtriſſimus.

Poſt tot præcedentia Sidera, poſt tot Illuſtriſſimos à Tyarata fronte præmiſſos, à lateribus circumfuſos Phoſphoros; Ipſe tandem ANTISTES *ILLUSRISSIME*, æmulo ſolis Pontificalis Trabeæ conſpicuus jubare, inumbratam,

Scholaſticâ ſæpiâ paginam colluſtras. Quidcunq; dignitariæ claritudinis, quidcunq; trabeati ſplendoris in Tuis diviſum reperiebatur Majoribus, in Te Vno, ceu in luminum fonte eſt collectum. Tota Lucinæ celſitudo, totus virtutum ſplendor, multîs per Aborigenes Tuos intervallîs difſuſus, in Te compendiatim defluxit. Condecorabant Eos Senatoriæ Purpuræ, Equeſtres inſigniebant Togæ, Patricij diſtingvebant Murices, Te Sacra, Te Pontificalis Trabea adornat. Fulgebant illi Illuſtriſſimîs, eminebant Excellentiſſimis titulîs, Tu utrisq; ſuperemines. Sola temporis prioritate *ILLVSTRISSIMI* ANTECESSORES Te præceſſerunt, non virtutis, non honoris. Sellîs Eorum & Curulibûs altiorem Præſuleum conſcendiſti Thronum. Magnis in Regno Proceribus, exæquaſti dignitate, primos Eosq; ex Domo Tua innumeros Senatores, munere & dignitate attigiſti; Sacri ordine & excellentiâ Senatûs tranſcendiſti. Summis Illuſtriſſimæ Domûs decoribus, quæ per plurima accumulabantur ſæcula, ſæculo hoc principale decus, principale acceſſiſti ornamentum. Avitis Magnorum Aborigenum ſplendoribus, fulgentiſſimum cum Pontificijs Ceris meridiem invexiſti. Etiamſi ex ſplendidiſſimis Avorum & Atavorũ umbris nativam non hauſiſſes lucem, adhũc ſolus Fons & Author lucis trabeatæ eſſes. Veniſti verò à Lucijs Fulgentius, à Probinis pientiſſimus PRÆSVL, ab Illuſtriſſimis, Senator & ANTISTES *ILLUSTRISSIMUS.* In ipſo Lucinæ ſinu, inquilina Nobiliſſimi Generis Te

ris Te circumfudit claritudo. Prima vitæ aurora Soles Tibi honorum nuntiabat, virtutibûs & titulîs Illustrissimum Te fore designabat. Non erant consulendi Ptolomæi, non terra inarranda circinîs, ut certa magnitudinis Tuæ, colligerentur argumenta. Necdum infantilis lingva fari Te sinebat, jam generosa frons & oculi, quis grandævus & quantus futurus esses loquebantur. Vix tremulos cæpisti formare gressus, jam solida ampliandi Nominis & Avitæ famæ vestigia exprimebas. Sub liberrimæ gentis climate enutritus, domesticîs Magnorum Prædecessorum exemplis, ad gloriosum vitæ processum Te necessitabas. Immatura ætas, nil in Te immaturum, nil levitati obnoxium, nil non serium vidit. In pauculis annis ille Tibi gravis incessus, ille prudens discursus, illa Iudicij maturitas, ille fuit vigor igneus oris, qui pusillo corpore majorem contineri animum denotabat. Eximijs dotibûs cumulatam à natura indolem, ut tantùm per ætatem licuit, Regiæ excolendam Palladi commisisti. Ea alacritate, ad operosos Scholasticos descendisti ludos, quâ alij ad ludicros Circenses majori, non descenderent. Difficilibus captû Scientijs ea facilitate, ea adhæsisti promptitudine, ceu Tibi jam apprimè notæ essent, antequàm illarum initiareris Studio. Nobilis Teopompus, per Scholarum gradus, per doctæ Minervæ Classes, celeri processisti passu, non tamen quidquam prætermittens, quod ad integrum perfectæ eruditionis desideraretur cursum. Artibus humanioribus

bûs instructus, ad altius Philosophiæ Studium, capacissimum conjecisti animum. Hac in Scientia, nihil humile, nihil proclive, nihil in promptu situm, sed omnia sublimia, omnia ardua, omnia à facili captu obveniebant remota. Quæ tamen in Philosophicis contemplationibus tanta sublimitas fuit, quam excelso animo non attigeris? Quæ in abstractionibus perplexitas tanta, quam felici ingenio non superaveris? Qui in speculationibus tam molestus labor quem flagrantissimum sciendi desiderium, non modò facilem ac tollerabilem, sed dulcem quoq; non reddidisset Tibi & jucundum. Obfirmato adversùs omne arduum animô, obversaq; contra torrentem docillimi ingenij carinâ, in medijs Eurippi anfractibus perfectæ portum quæsivisti Scientiæ, & invenisti. Logicales Spinas ad eruditi coronamentum conserusti animi. Ex difficillimo Philosophiæ Studio, pulcherrimum solidæ eruditionis fructum es consecutus. Rerum Causas, & latentes earum conceptus, profundo cum attigisti scrutiniô, elevatam mentem ad Divinæ Scientiæ convertisti arcana. Medio fidei lumine, quod religioso fovebas corde, Deum qui inaccessibilem inhabitat lucem, ad Thomisticum explorabas Solem. Indivisibilem Divinitatis unionem, in Aqvinaticis exquirebas undis. Ex Angelici Doctoris Summa, summo conatu, intimoq; studiô, pretiosam Sapientis animi collegisti supellectilem. Thomistico Phæbo, qui in Capitis Tui culminabat vertice, Cælo ortum ab alto,

Divæ Aſtreæ aſſociabas Sidus. Operoſa nempè horarum viciſſitudine præter Theologicum Studidium, Iurisprudentiæ incumbebas. Audiendo Vtriq; Iuri, parem ſedulitatem, parem adhibuiſti operam, in utroq; pariter profeciſti. Quid verò de hoc dicendum? quod tempus illud, pronæ ad otia juventutis, et ſi aliquô, maximè Studiorum tædiô confici ſolitæ, Tu intenſis Muſarum & Palladis conſecraveris laboribus? Quòd necdum benè obfirmatum per ætatem ingenium, ad enixa ſcientiarum, Iurisprudentiæ & Theologiæ Studia, curasq; parandæ Sapientiæ converteris viriles? Arcano id factum Numine reor, à Quo per iſta Tyrocynia, in prudentem deſtinabaris Paſtorem, formabaris in Pontificem eâ ſcientiâ plenum, eâ quâ decet Sapientiâ ornatum. Facilè autem ad Te Iuvenem, quæ juvenes fugit, matura venit Sapientia, pro cujus initio Timorem Domini, pro ſcopo & meta æterni Numinis gloriam ſtatuebas. Increatum Tibi devoto affectu adoranti Solem, in ipſo floridæ ætatis vere omnia maturabantur. Virtutibûs & pietate ſimul ſuccreſcenti, omnia ad laudatiſſimum vitæ ſuccedebant Statum.

Orbis amplitudinem & ſitum, quem jam ex Ptolomæi mappis didiceras, in ipſo viſurus capite, poſt exacta domi docta cum Muſis otia, ad Vrbem illam, quæ tetendit cum Sole manus, quæ una Orbem concluſerat Imperiô totum, Te contuliſti. Iſta nihilominùs Gentium Domina & Vrbium Princeps, ambitu ſuo perampla, operum vetuſtate commendatiſſima, Stru-

ćturîs magnifica, ædibûs & Palatijs ſplendida, quæ Magnificentiæ ſuæ ſtupore, plurimorum ſuſpenderat animos, generoſiſſimam mentem Tuam, nunquam vanâ admiratione captam obſervavit. Exterorum mores, genium & diſciplinam, cum intimè ſcrutareris, ſeriò obſervares, perfecta regulatos prudentiâ ſenſus, ab omni levi curioſitate ſubtrahebas. Aſſvetas ſerijs narrationibus aures, ad ridiculas fabellas, ad anilia inanium nugarum nunquam arrexiſti lenocinia. Spectatorem oculum, nec ad pendula Tarpeiæ rupis ſuſpendiſti fragmenta, nec inter grandia Capitolij rudera attonitum jeciſtì, nec exeſis Adrianæ molis, aut Neronianorum Conclavium veſtigijs affixiſti. Baſilicas Ædes, & auguſta Divini Numinis continuus viſitabas Sacraria, Immortales Sanctorum revidebas exuvias, interq; dulcia eorum aſſiduus oſcula hærebas. Patrias mente complexus Athenas, in Latio veteri Muſarum ſede, celeberrimas reviſebas Bibliothecas, numeroſiſſima eruditorum Virorum frequenti manu verſabas monumenta. Sacræ Themidi, quam domi diligentiſſimam dederas, Romano in Archylicæo geminatam adhibuſti operam. Ejus in arcanis, oraculis, & reſponſis, inq; toto Iuris Proceſſu, tanto profectu es obſervatus, ut ſolenni ritu, Romanus in Iure Vtroq; renunciareris Doctor. Romana Sapientia, eruditiſſimum Caput Tuum Iuridicâ Doctorali jure meritò coronavit Laureâ; Totum Te excellentiſſimis ornatum dotibûs, Vrbs integra, uno affectu, una æſtimatione coronabat. Tibi profectò

ANTI-

ANTISTES ILLVSTRISSIME, Roma laudatissimarum mora occupationum fuit; Tu verò ob Sangvinis claritudinem, ob eximias animi & corporis qualitates, unicus Romæ fueras amor. Fatebatur Te ex incessu gravem, ex fronte magnanimum, ex gestu modestum, ex servato omnibus in actionibus decore honorandum, decidebatq; ad summa natum, cuicunq; vel primo innotescebas ab intuitu. Singularem affabilitatem sermonis, urbanam oris comitatem, rerum prudentiam majorem, perfectam politices & historiæ Scientiam, attribuebat Tibi, cum quocunq; amæna festivitate conditos, & seria narratione graves conserebas discursus. Veracem ore, verbô realem, humanitatis legibûs perfectè institutum, Officiositatis plenum, totum integerrimis moribûs, totum probitate fulgentem & cumulatum æstimabat, cuicunq; Tecum intimiùs conversari contigerat. Aliquot annos egisti Romæ, sed quos multi cum gravi fortunæ, aurei temporis, & probæ plerumq; vitæ jactura apud exteros perdunt, Tu pulcherrimo famæ, honoris, & probitatis profectu peregisti. Quantum Patriæ, quantum Illustrissimæ Domui, in desiderata Tui præsentia temporis decessit, tantum æstimationis, tantum accessit gloriæ, cum sub alieno climate, liberrimæ & generosissimæ gentis genio, ac SIERAKOVIANI Nominis magnificentiæ responderes.

Ab Vrbe Romana laudatissimè in Patriam, quia non vacuus, es reversus. Etenim præter rerum experientiam, præter conquisitam morum

& idiomatum externorum ſcientiam, præter ſelectum animi cultum, præter notabilia Sapientiæ incrementa, quibus inſigniter accumulatus eras, Cracovienſi Canonicatu à BENEDICTO XIII. ornatus redijſti. Certò certiùs ad ſublimiora Eccleſiaſticæ Dignitatis culmina, proceſſurũ Te quilibet ominabatur, cum tam ſublimi Sacri Honoris initiatum gradu ſalutabat. In Epiſcoporum Seminario, proxima Præſulei Honoris ſemina, fauſtè jecit, æſtimatarum in Te coronatrix virtutum BENEDICTI manus. Canonicale Cracovienſe Stallum, ad Pontificios Thronos, Vavellanus Coronarum Ternio, ad Epiſcopales Inſulas indubio prælusit eventu. Quid verò ad certa ſummæ Tuæ in Sacrorum Miniſterio pietatis indicia? quid ad infallibilia Paſtoralis præeminẽtiæ omina poterat evenire conformius? illâ Tuâ in Divinum Myſtam Cathedrali in Baſilica ordinatione, primoq; inibi Sacerdotalis muneris exercitiô. Venceslai ſub Labaro authorari Te in Chriſti Athletam congruebat, Qui ita individuus Exercituum Domini eſſes Comilito, ut à Te eſt VENCESLAI indiſſociabile Nomen, Cracovienſi in Cathedra, prima in Sacros uſus debebas poteſtate defungi, tot olim Cathedris, Epiſcopali regimine præfuturus. Primitiæ Tuæ ſeu Dapes illæ Immaculati Agni, primò à Te confectæ, multam Æterno Numini arriſerunt? Quidni arriſiſſent? quas in ardentiſſimo cordis fervore es operatus, quas ſingulari apparaſti modeſtia, inſigni condiviſti pietate, ſummo cultu, & reverentia pertractaſti ſummâ. Ad hæc Sancta

Sanctorum

Sanctorum, mundissimo corde, quod semel integrum sacrificaveras Deo, continuus accedebas. In Flaminem veri Numinis consecratus, flammeo pientissimæ mentis ardore, Divina circumfundebas Altaria, cordis candore, morum innocentiâ, vitæ integritate & sanctimoniâ recreabas. Cathedralis Canonicus, Ecclesiasticas Cathedras Apostolici laboris causâ, non gravabaris conscendisse. In his quoties perorares, nemo erat, qui Te non attentissimus audiret, qui erudito Tuo non penderet ab ore. Ibas Sacra in Rostra nomine HIERONYMVS; verbô Dei, Sacris ex paginis excerptô; selectorum sensuum pondere, cultissimæ majestate Eloquentiæ, & concinna styli gravitate, redivivum in exedris Hyeronimum reddebas. Plurimorum pro laudibus laborâsti Sanctorum, plurimorum Regni Indigetum encomia, facundissimus deprædicasti. Martyriam D. STANISLAI lauream, gemmîs verborum appretiasti, florido adornâsti stylô. Sacramentale NEPOMVCENI Confessoris silentium, lingvâ Tuâ disertâ effecisti vocalissimum. Mare gratiarum, Protectricem Metropolis Regni MARIAM de Gratijs, rotundo coronasti sermone. Ob eruditos labores, dotesq; animi excellentissimas, Vavellanas ut gemma appretiabas Coronas; solus ab omnibus appretiabaris, æstimabaris ut gemma; & præcipuè à gloriosissimæ memoriæ Præsule SZANIAVIO. Non tam à Gentilitio AGNO, quã ab aureo Capite, & Sapientiæ oraculis, Tripos ille Polonus, in intima Tui illapsus animi, ingentium Te ne-

gotiorum capacissimum cognovit, ad audiendas Curiæ suæ causas invitavit. Summus prudentiâ, gestorum magnitudine immortalis PRÆSVL, Tibi in consilijs prudentissimo, rebus in agendis dexterrimo, omni virtutis cumulatissimo genere, quàm intimo corde? quàm intima adhæserit mente? ultimis voluntatis suæ tabulîs, Tuas consignatîs in manus est testatus. Quæ Tuæ in Episcopali Curia curæ? quæ in audiendis amplissimæ Diæcesis causis vigilantia & labor? quæ in expediendis sollicitudo & celeritas? quæ in dijudicandis prudentia & æquitas? integra Diæcesis nequit satis edisserere. Sola æquitatis Tuæ æstimatione, quæ omnium animis altissimè inhæserat; solabatur se innocens, reus submittebat pænæ; priusquam causarum AVDITOR enuntiares decretũ. Quod judicatum formabas, quam statuebas sententiam, eam ille quoq; fatebatur justissimam, cui pænalis erat. Supremo Regni in Tribunali, DEPVTATVS cum assideres Iudex, ipsa assidere Iustitia credebatur. Emortua Lex, quæ scripta in Codice, in Iudice non residet. Vacuum jus, quod per digesta dispersum, in animi congestis non reperitur. Tu Totum Iustiniani Codicem, totum Iuris Civilis corpus, tota legum patriarum volumina doctissimo complexus Capite nihil decidebas, quod legibus non innixum; nihil statuebas, quod in juribus, quod non esset in Statutis fundatum. Peritissimus legum, publicæ tenacissimus fidei, conscientiâ integerrimus, solius justitiæ, solius æquitatis sequax, quid unquam decidere poteras? quod

teras? quod pro justitia, quod non esset pro æquitate. In omni Iuris Scientia oculatissimus, Andabatarum more Iudicia in Tribunali peragebas. Non personas, non conditionē, non litigantium statum, non intervenintis jura respiciebas amicitiæ; ad ipsam quoq; arctissimam Sangvinis non respexisses necessitudinem, cum discernēda injuria, cum sententia dicenda erat. Absq; dubio perennaret suis in Sacrarijs, nec fugitiva è terris, astra repeteret Astræa, si sic amans sui, sic Iuris peritus, sic legis observans; ab omni, excepto solius æquitatis alienus affectu, integer & incorruptus Iudex, in Regni Tribunali perenniter asideres. Difficillimus administrandæ Iustitiæ Magistratus, cum Te Virum publicæ fidei probavit & monstravit, Rex olim Gloriosissimus AVGVSTVS Secundus, Custodiæ Tuæ, Regni Monilia commisit.

Regni *CUSTODEM* agens, unicô circumspectissimæ mentis oculô, sed toto lynceô, toto ad omnem pervigili eventum, centoculô feliciùs & gloriosiùs Argo, Polonis excubasti pro Clenodijs; arduo nimis tempore, Regni Insignia; Regno asservâsti. Propter conservatos liberrimæ Monarchiæ fasces, scepra, & diademmata, novo coronarum genere præmiari merebaris, nisi jam de Sacro Tuo Capite, Episcopales Tyaræ contendissent.

A confecto annîs, laboribûs defesso Illustirssimo olim MOSZYNSKI, Livoniæ EPISCOPO, publicis probatus curîs, ac singulari animi dexteritate commendatus, in laborum &

onerum COADIVTOREM es adſcitus. Non Tibi ipſe arridebat honor, quem prævio emeritum non capeſſeres labore. Non aſcenſus placebat, ad quem anticipatus ſolidos labor non jeciſſet gradus. COADIVTORIS tituló, priùs in partem gravium Epiſcopalium curarum vocari elegeras, antequam Epiſcopus, antequam nominareris PRÆSVL. Antequam Caput Tyaræ ſubmitteres, illud priùs ad operoſa cogitamina, Tyarîs coronanda erexiſti. Antequam Præſuleam Crucem in Tuum admiſiſſes pectus, illud priùs fervidis circa Livonienſis Diæcesîs bonum anhelitibûs præoccupari voluiſti. Antequam Pontificium manibûs prehendiſſes Sceptrum, illas priùs Coadjutoralis onere exercuiſti laborîs. Præſuleîs jam initiatus laboribus, jam oneribûs exercitatus, ut fortiori illa deportares brachió, in Præſulem ungvendus eras. Sua Te manu *EMINENTISSIMUS* S. R. E. PRÆSBYTER CARDINALIS IOANNES *de Lipe* LIPSKI, ungi in Pontificem & conſecrari voluit, in Quo omnes virtutes, perfectiones animi omnes, Pontifice dignas, obſervavit & æſtimavit eminentes. Primum ex SIERAKOVIANA Domo ANTISTITEM, Polonus Te adoravit Orbis, Illuſtriſsima Domus, gloriam ſui, multîs ante inchoatam, conſumatam in Te, omnibusq; retrò æquaturam ſæculis gratulabatur ſibi. Ad Clavas, Caduceos, dignitarios Scipiones, militaria Saga, Senatorias Togas, Trabeas & Murices, ſolus Præſuleus Scipio, ſola Epiſcopalis in SIERAKOVIANA Domo

deſideraba-

desiderabatur Purpura. Capessijsti manibûs Pedum, emeritissimis humerîs Pontificalem induisti purpuram, expectatus sæculîs Phænix, Episcopalis dignitatis fastigium, primus conscendisti SIERAKOVIVS. Præsuleus honor, qui pluribus sæculîs ad SIERAKOVIANAM retardavit Domum, in Te Vno pluribus repetitîs identidem gradibûs, tarditatem suam compensavit. Ita est individuus comes virtutis honor, sicut & splendor Solis. Quot gradibûs Sol altiùs ascendit, tot gradibûs lux ejus adaugetur. Quot intervallîs, summa Tua in Patriam, Rempublicam & Ecclesiam Dei accrescunt merita, tot auctibûs, Pontificiam Tibi accedere dignitatem, tot sublimiores evenire ascensus quis miretur? Episcopalis dignitas, non est in Te fluxæ & errantis fortunæ donum. Geminati Tui Ascensus, non sunt fortuitus Aulæ favor, sed publicum æstimatarum in Te, à pientissimo æquè ac justissimo Rege AVGVSTO III. excellentissimarum dotum, exploratæq; probitatis testimonium. Antequam PRÆSVL fieres, jam illa virtutum ornamenta, illa merita summa, quibûs Cracoviense Stallum; quibûs Kielecensem, Iaroslaviensem, Sandomiriensem Collegiatas replevisti, fieri Te Præsulem poscebant, & vocari. Faventibus Dîjs, pluribus jam Cathedris, & Diæcesibus Optimus praees PONTIFEX; omnes acclamant, Te sibi non tantùm præfuisse, sed & profuisse. In primo Livoniensi Episcopatu, prima Tibi, sed maxima, propagandæ Orthodoxæ fidei, religionis ampliandæ studia fuerunt. Ad

altiorem Camenecenſem evectus, altioribus de augendo Diæceſis bono cogitationibus inſtitiſti. Vt illa Domini Vinea uberiùs germinaret, diligentiſſimos Operarios vocaſti. Vt ille Divini Sangvinis pretiô venalis Ager, fructificaret magis, laborioſiſſimos providiſti Cultores. Vt illud CHRISTI Ovile augeretur, Paſtorales in Te augebas in dies curas. Zeloſos Verbi Dei Præcones Cathedris, Fideles animarum Curatores Parochijs, reverentes in Sacrorum exercitio, eruditos in Ceremonijs & ritu Miniſtros, Ecclesijs adſciviſti; Cleri numerum auxiſti, beneficîjs cumulaſti. Debent Tibi Templa nitorem, debent Sponſæ Dei, vel auctum decorem vel reſtitutum, à Te PONTIFICE viſitatæ. Supremis ab alto conſilîjs populo Paſtor, Eccleſijs ANTISTES datus, ſi nullo labore, nulla curarum intenſione; ſolis pientiſſimæ vitæ exemplîs, populum ſalutariter regeres, Eccleſijs præeſſes. Cum Tyaratus Aaron, manus ad Cælum tollis, corde ad DEUM ſublimaris; cum Sacris Aris pientiſſimus affunderis Præſul, quis ſimiles pietatis non erigeretur ad actus? Devotione Tua, non tantùm Sacraria, ſed & privata Conclavia reples. Dies Tibi totus, una fermè hora Canonica eſt, quæ in precibus recitandîs, jucundiſſima occupatione defluit. In Dei laudibus cum heſperis non deſinis, Phoſphoros pijs orationibûs prævenis. Actiones omnes ea moderatione inſtituis, ut nullam exerceas, quæ glorioſa non ſit, quæ non ſit meritoria. Cuncta negotia, quæ ad effectum es deducturus, ad prudentis lucernam animi ex-

ploras,

ploras; hac luce directus, nil agis, quod non sit illustre. Virtutes omnes compendiô tenes, omnes in Te suum fastigium habent, omnes sunt in gradu eminenti. Altissimas de bono Patriæ & Ecclesiæ cogitationes volvens, à solo alto de Te sensu es alienus. Præsulei honoris Culmen, supra multos Te extulit, sed nemini eripuit; ex quo etiam ad minimos Te demittis. Nil in Te mutavit fortuna, nihil purpura trãsformavit. Manet in Te PRÆSVLE, quæ prior humanitas manebat. Exhibebas facilem ad Te singulis accessum, exhibes. Es, ut eras vultu benignus, & sermone affabilis in omnes. Hæret lateri Tuo, quisquis accesserit, & finem ei sermonis, suus pudor, non Tuus contemptus facit. Cum Deos propiùs acesseris, quod Deorum, & Tuum esse putas; alijs befacere. Gratias & favores sub claustro non tenes; bona fortunæ Tuæ, non bona censeres, si ea ceteris non communicares. Opibûs Tuìs vivunt inopes, divitîjs pauperum Nosocomia ditantur. Ærrario Tuo Liberalitatem præfecisti, exclusô tamen luxu, qui opes disperdit, non dispensat. Aula Tua, quædam virtutum est Palæstra. Neminem ad Tua admittis obseqvia, qui non sit virtutis sequax. Odisti talem comitatum, qui ex solis intaminatæ probitatis Comitibus non componatur. Vetus juxta proverbium; exulet ex Aula, qui volet esse pius; in Tua locum non reperit, qui nolit esse pius. Æstimas probos & gratîjs cumulas, dulces capis cũ eruditis cibos. Mẽsa apud Te omnis, mensa propositionum; omne convivium, convivium Platonicum est dicendum.

Illæ tantùm sapiunt Tibi epulæ, quæ Sapientum sale, quæ eruditorum Capitum oleô condiuntur. Novus hoc sæculo literatorum Mæcenas, in Iuventem literîs instruendam, es munificentissimus. Hujus commodô, Convictum Iaroslaviæ notabili fundasti sumptu, & cõservas. Vno isto munificentiæ actu, tot perennia gloriæ Tuæ monumenta erexisti, quot ex illo Gymnasio, Patria bonos Cives, Ecclesia eruditos recipiet viros. Publica documenta sunt, quibûs Tuum in Patriam amorem, Zelum in Ecclesiam exhibes. Nec illa aliquem laudatissima pietas latet, quam Æstimatissimæ Tuæ testaris MATRI. Toties ad Illius venerationem descendis; pulcherrimo à Dijs ornatam seniô, honore Tuo recreas, gratitudine solaris; Magna MATER, Te Filium quem genuit, lætissima adorat. Contra Solonis sensum, felix & beatus in vita es; qui nihil agis, nihil operaris, nisi juxta virtutem perfectam. Ergo Magne meritîs, Magne virtutibûs, avitis decoribûs & gestîs Tuis Illustrissime ANTISTES, tertium Præsuleum conscende secundisśimè Thronum. Imple Nominis & Domûs gloriam, maximis titulîs SIERAKOVIVS. Ecclesiam meritîs PRÆSVL, Patriam SENATOR longævus consilijs orna.

Tyaratum Premysliensis Cathedræ Culmen,
non sit ultimus Tuæ in Ecclesia Dei dignitatis gradus. Imò è Voto Academico
Gentilitia SAGITTA, altiora Sacri
honoris fastigia, summis Tuis meritis, & Virtutibus designet.